



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies  
Meditationibvs illustratæ**

**Paderbornæ, 1697**

S. Theodvlvs Confess. 2. Decemb.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62968)

2. Exemplo S. Eligii, principio tum diei, tum actio-  
nis cujuslibet memineris, laborem tuum offerre Deo,  
tuamque oblationem identidem renovare. Si quid-  
piam difficile, ac molestum occurrat, vince difficulta-  
tem, ac molestiam, ut honores ac imiteris Christum:  
finito labore, vide, in quo peccaveris, & veniam pe-  
te. Hanc si laborandi rationem tenueris, sanctitati &  
æternitati laborabis.

3. Noli multa complecti, nimius & nullus labor  
perindè nocent sanctitati; animus siquidem tempo-  
ralium curis implicatus, multisque oppressus labori-  
bus, nec tempus habet Deo, vacandi, nec eo, quo  
deberet, sensu pietatis cœlestia contemplatur. Alius  
hæreat menti tuæ, salutem, *unum esse necessarium*. Quo  
studio quæris Dominum! *Quæris aurum & forte cum  
volueris, non habebis; Deum, cum volueris, habebis.* Aug

## S. THEODVLVS Confess.

2. Decemb.

*Mihi mundus crucifixus est, &  
ego mundo.* Paul. ad Galat. cap. 6.

**A** Scenderat in id fastigium honorum  
Theodulus, ut Aula illum Theodosia-  
na Præfectum salutaret. Verum his etiam al-  
tiora Virtus ambiit. Etenim quòd aulæ tech-  
nas & insidias probè perspectas haberet, lu-  
dos facere hanc vicissim voluit. Quare affem  
omnem



omnem (Philippeorum millia quinque supra  
 quinquaginta) liberali sparsione in miseros  
 abjecit, ipse columnam Edeffæ ascendit, inde  
 Aulæ fastus, minas, pericula, omnia despectu-  
 rus. Ita mundo & sese altior respuit jam cum  
 homunculis prandere cœpitque cum Cœliti-  
 bus solâ Ambrosiâ, hoc est, Angelorum pane  
 deinceps vesci. Post annos sic traductos XXX.  
 cupido subiit scire ecuinam ex Dei amicis vi-  
 tæ meritis æquiparandus foret. Responsum  
 è cælo, Cornelio Mimo æquandum. Rubo-  
 rem expressit hoc Theodulo. Adiit tamen vi-  
 rum, & hæc denique sibi fateri coëgit: mimi-  
 cam artem à primis annis tractasse, nunc cum  
 in mentem ultima illa nec ficta Mundi scena  
 venisset, serium se & frugi esse, nuperq; adeo,  
 ut pudori nescio cuius Matronæ unaque deco-  
 ratoris ejusdem viri, qui à creditoribus invin-  
 culis tenebatur, libertati consuleret, vestem  
 & supellectilem vendidisse & corrogatum in-  
 de quadringentorum aureorum assem alienæ  
 miseræ donasse. Laudavit tam bene claulam  
 à Mimo fabulam Theodulus, & lætus iterum  
 conscendit columnam suam, paulò post ex  
 hac in vicinum cælum transcendit.

*Ex Menais.*

Z 4

MEDI.



## M E D I T A T I O.

*De contemptu mundi.*

1. **N**oli diligere mundum: cave, ne mortiferis ejus blanditiis capiaris. Auro fulgent, quæ præbet pocula atque mel spirant; verùm plena sunt veneno. Calix verò Christi videtur felle & aceto redundare, at plenus est melle suavissimo; mundus blandiendo necat, Deus affligendo salvat. Christiane? cœlo natus es, nec expleri potes mundanis delitiis. Quid differs vitæ tuæ mutationem? quid mundi nugis retineris? *Quid agis frater in seculo, qui major es mundo?* Hieron.

2. *Noli timere mundum* Ut amor, sic timor mundi avocat ab obsequio Dei. Stultescit mundus, & adversatur Deo. Si tantillo valeres animo, eum facilè superares; quippe, cum eos duntaxat vincat, qui ignavioris sunt naturæ. Te unum, Domine, timebo, non enim mundus, aut ejus affectæ me judicaturi sunt, sed tu, Domine, tu, inquam, me judicaturus es, non ex mundi legibus, sed ex præceptis Evangelii.

3. *Contemne, calcæ pedibus fallacem mundum*: facilis est is contemptus consideranti, quoties amplis promissis amicos suos quotidie ludat, & clamat, deficere se, nec parem esse humanis desideriiis. Audi vocantem Jesum, qui veritas est. *Mundus clamat, deficio: tu Domine, clamas reficio, & miseria mea magis sequitur deficientem, quàm reficientem.* Aug.

S. FRAN.